



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

**Parisiis, 1644**

XIV. De presbyteris a carnibus se abstinentibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15072**

## X.

Diaconi quicumque, cum ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt, dicentes velle se habere vxores, nec posse se continere; hi postea si ad nuptias venerint, maneat in ministerio, propterea quod his Episcopus licentiam dederit. Quicumque sane tacuerunt, & susceperunt manus impositionem, professi continentiam, si postea ad nuptias venerint, a ministerio vel clero cessare debent, laicam tantum recipientes communionem.

## XI.

Desponsatas puellas, & postea ab aliis raptas, placuit erui & his reddi, quibus fuerant ante desponsatae, etiam si a raptoribus florem pudoris sui amisisse constiterit.

## XII.

Eos qui ante baptismum sacrificauerunt, & postea baptismum consecuti sunt, placuit ad ordinem promoueri, tamquam ab omni crimine, lauari salutaris sanctificatione, purgatos.

## XIII.

Vicariis Episcoporum, quos Græci \* Chorepiscopos vocant, non licere vel diaconos ordinare: sed nec presbyteris ciuitatis, sine Episcopi præcepto, amplius aliquid imperare, vel sine auctoritate literarum eius in vnaquaque parochia aliquid agere.

Id est, Episcopos regionales seu rurales.

## XIV.

De his qui in clero sunt presbyteri vel diaconi, & abstinent a carnibus, hoc placuit statui, vt non eas tamquam immundas contemnant, sed con-



tingant. A quibus quidem si se abstinere volunt, habeant potestatem; ita tamen, ut si quando cum oleribus coquuntur, eadem tamquam carnibus polluta non iudicent, sed ex his ad cibum assumant, quamuis a carnibus se abstineant. Quod si in tantum immundas & abominabiles iudicauerint, ut nec olera, quæ cum carnibus coquuntur, æstiment comedenda, tamquam non consentientes huic regulæ, cessare eos oportet & a ministerio & ordine suo. Si quis autem huic regulæ monitus non obdierit, sed carnes, ut dictum est, immundas & abominandas existimauerit, cessare debet ab ordine suo.

## X V.

Si qua de rebus Ecclesiæ, cum Episcopus non est, presbyteri vendiderint; placuit, rescisso contractu, ad ius Ecclesiasticum reuocari. In iudicio autem erit Episcopi, si constitutum precium debeat recipi, necne: propter quod sæpe contingit, distractarum rerum reditus ampliolem summam pro dato precio reddidisse.

## X V I.

Quotquot igitur ante vigesimum ætatis suæ annum tale crimen admiserint, quindecim annis in pœnitentia peractis, orationi tantum incipiant communicare: & quinquennium alterum in communionem orationis solius perdurantes, post vigesimum cum oblatione ad cõmunionem suscipiantur. Discutiatur autem & vita eorum, qualis fuerit tempore pœnitentiæ; & iuxta hanc, humanitatem consequantur. Quod si quis perseverantius abusus fuerit

hoc